



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 42. in divinatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

Basil. ma-
gnus hom.
de ebriet.

quæso sunt ebrij, quàm gentium ido-
la: inquit Basilius oculos habent & non
vident, aures habent & non audiunt,
pedes habent, & ambulare nesciunt,
ut aqua ignem extinguit, ita vinum
extinguit rationem, & ut aqua ma-
ris naves, ita liquor vitio homines
abligurit. frustra inquam ego tali-
bus talia, vivere enim videntur &
mortui sunt, vel ut Sanctus Hiero-
nymus in c. 5. ad Gal. *ebrius homo
nec mortuus est, nec vivus*, Balthafari
illi simillimus, qui licet digitos Dei
scribentis vidisset, scripturæ inter-
pretationem & cladem imminen-
tem audivisset, inferni amaritudi-
nem in corpore suo colliso prægu-
stasset, nihil tamen motus, nihil e-
mendatus est, ad arma non surre-
xit, ad preces & veniam petendam
non se prostravit, nec linguam nec
digitum supplicè ad Deum extulit,
sed obstinatus in scelere impiam cū

vino & sanguine animam orco in vi-
timam evomuit. Tale nimirum
ebrietatis flagitium est, ut insanabile
videatur, ideoque veneno aspidum
componatur Deut. 32. *fel draconum
vinum eorum & venenum aspidum
insanabile*. in quæ Ambrosius: *pul-
chrè additur insanabile. multi enim
reliquorum serpentium veneno cu-
rantur, nemo ebrietate*. Mortè si vi-
deant, infernum patulum si aspici-
ant, epulonem ex flammis si audiât, &
bibamus, nihil movebuntur, sed sese
animabunt; *comedamus* II. 22. *& cras
moriemur*, imò jam mortui & in in-
ferno sepulti digni cœnotaphio il-
lo: *propter est est est*, & hic & iste &
maximus mortalium numerus
ante tempus mortuus est, re-
probatus est, damna-
tus est.

S. Ambro-
sius lib. de
Elia c. 14.



PHILIPPICA XLII.

In Divinatores.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis Prophetis. Matth. 7. v. 15.

§. I.
Plurimi
in mundo
pseudo-
prophe-
tæ.



Prophetæ falsi omnes
illi Magistri errorum
sunt, qui scilicet, ut
ait Paulus Rom. 16. v.
17. per dulces sermo-
nes & benedictiones
seducunt corda innocentium, qui
viam ad cœlum facillimam ster-
nunt, deque beatitudine æterna
securos reddunt, quasi idcirco Chri-
stus habeat in capite spinas, ut ipsi
sub pedibus rosas. hi sunt, qui col-
ligunt de spinis uvas, de tribulis
ficus, dum ex spinis, flagris, cruce,
& morte Christi omnem suæ sibi fa-

lutis securitatem pollicentur, &
quamlibet vitæ indulgent liberta-
tem, conanturque has doctrinas
obvelare textibus scripturæ male
intellectis, ita ut Tertullianus vocet
scripturam *Librum hereticorum*,
siquidem nulla hæcenus hæresis
fuit, quæ non scripturarum folijs
suam texerit malitiam. Falsi pro-
phetæ sunt politici, qui vitia sua
palliant amiculo virtutis; hi sunt,
qui liberales se fingunt, ut avari-
tiæ obsequantur, dicunt se velle
promovere religionem, ut regio-
nem occupent, sicut Saul 2. Reg. 21.
fin-

fungunt se zelare pro honore DEI & punire peccata, sed vel parva vel ficta puniunt, tolerant grandia sicut Achab 3. Reg. 21. qui Nabothum occidi permisit, *Et ut audivit Achab, quod mortuus est Naboth, conscidit vestimenta sua, & cooperuit se cilicio.* sed contra hos hodie non ago, literæ inhæreo, & falsos prophetas esse pronuntio omnes divinatores, veridicos, astrologos, judicarios, fortilegos, à quibus ut attendatis, contra eosdem dicentem attendite.

§. 2. Quàm enorme flagitium sit Divinatores consulere, aut quovis superstitioso medio futura contingentia indagare, inde liquet, quòd per hoc peccatum dæmoni attribuitur particula divinitatis, scilicet, prænotio futurorum, ejusque consentiatur voto veteri: *ero similis altissimo.* pater mendacij pro Doctore veritatis consulitur, cum eoque commercium initur contra renuntiationem in baptismo factam, quâ spondimus nullam ab infensissimo Dei & animarum hoste instructionem, consilium, auxiliùmque petere, nullis ejus illecebris & suggestionibus consentire. Rabbiorum veterum & Chaldæi Paraphrastis fuit doctrina, quòd Deo à zona gloriæ suæ tres pendeant claves, quibus seras clausissimas repandit. prima clavis est pluviae, de qua Deuter. 28. v. 12. *aperuit Deus thesaurum suum, ut tribuat pluviam terræ in tempore suo.* altera clavis est resurrectionis, quâ tumulos aperit & portas mortis perfringit: *habeo claves mortis & inferni* Apoc. 11. v. 17. *ecce ego aperiam tumulos vestros* Ezech. 37. v. 12. tertia clavis est providentiæ, quâ aperit penum, refert horrea, nutrit universum: *aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate* ps. 103. v. 27. quarta clavis secretorum cordium & fu-

turorum: *ego Dominus scrutans corda & renes & cogitationes* Jer. 17. Apoc. 2. Sap. 4. Ex hac verò clavi potius quàm ex alijs agnosci vult divinitatem suam, unde If. 41. v. 23. *gloriatur: annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos,* futurorum prædictionem innuit esse infallibile signum divinitatis, certa enim horum notitia soli Deo reservata est, & quia divinitatem æmulari superbus spiritus non cessat, idcirco præterita vel futura divinare pergit, ut augeat numerum angelorum suorum sive pseudoprophetarum. Marci 1. Luc. 4. *audet superbus genius Christo vaticinari: venisti ante tempus perdere nos, scio, quod sis sanctus Dei.* quæ verba aded ægre Iesus tulit, ut se vero supercilio comminatus ei sit dicens: *obmutesce.* unde ista indignatio ad laudes inimici? non est speciosior laus, quàm quæ venit ab hoste. tanta tormenta in nocte passionis patitur, & tacet, permittitque se potestati tenebrarum, at hic cur non filet? cur patienter non audit, quas Sathan laudes enuntiat? est sæpè major patientia in audiendis laudibus quàm vituperijs. placet causam scire? Sanctus Ephrem de morb. linguæ audiatur: *Dominus nè vera quidem à Demone audire voluit, docens nos, nullatenus licere vera licet, explorare à Demone, quia hoc cedit in gravissimam injuriam Christo.*

Inter graviores injurias tempore passionis toleratas fuit illa obvelatio faciei, de qua Marci 14. v. 65. Luc. 22. *caeperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus, & colapbis eum cadere & dicere ei: propheta: gravis hæc injuria Principi ac Domino à vilissimis servis illata, quòd faciem illam, in quam desiderant Angeli prospicere, ideo velarent, nè pulchritudo eos ad miseriam*

§. 3. Similes item ijs, qui oculos Christo velaverunt.

cordiam moveret, nè oculos ejus, qui Augusti Cæsaris scintillantibus oculis & facie Moysis illustriores erant intuerentur, nè scurrarum imago in pupilla Iesu reluceret, sed cur ista patitur Iesus? ut satisfaciat pro curiositatibus tuis, ut absterreat te à divinationibus, toties enim illum velas, quoties consulis ariolos. satis lufisti & illufisti, cave nè oculos contra te aperiat teque à suis æternum repellat. Repulsus est ob hoc peccatum & reprobatus Saul, ab oculis Dei repulsus Ochozias, & repellendus fuisset Manasses, nisi temporaneâ poenâ poenitens superstitiones suas luisset.

§.4.
Ob Divinationē perijt in testamento veteri Rex Saul, in novo Chilpericus.

Saulis imprimis juvat meminisse, cujus primulam & præcocem bonitatem depingens Spiritus Sanctus 1. Reg. 9. v. 2. attestatur: *Non erat de filijs Israël melior illo.* tot naturæ dona in illum accumulârat Deus, ut melior non fuerit; tam devotus, humilis, magnanimus, discretus, innocens, ut non fuerit melior illo, innocentiam certè conferitur parvulo unius anni puello: *filius unius anni erat Saul cum regnare cepisset* 1. Reg. 13. sed hæc omnia decora denique perdidit, & cum vita temporanea æternam prodegit, quia Pythonissam consuluit. Patrârat fateor alia Saul scelera post biennium suscepti regiminis, nam in sacerdotale munus sese ingesserat, atque dum nimium pius esse affectat, impius evaserat; deinde Amalecitas cum Agag internecione delere jussus, clementiam exercuit in hostem, & sibi ipsi paravit crudelitatem, servavit enim in suum exitium, quod perdere debuit in Dei honorem. Præterea invidia in Davidem plenus, locum dedit à quo ex ageretur dæmoni, atque hujus instinctu Abimelech pontificem cum octoginta quinque sacerdotibus, universos itidem incolas

urbis Noba, quod fugienti Davidi receptaculum concessissent, contrucidârat, teçtâque succenderat, nec tamen ideo perijt. Verum ut Pythonissam consuluit, & Samuelis defuncti spiritum excitari sibi petijt, tunc enim verò fatalem vocem & ferale *Cras* inaudijt; *cras tu & filij tui* (quorum tres erant) *me cum eritis.* Die ergò posterâ à Philisthæis profligatus, sagittâque læsus fugam inijt, in qua spe salutis abjectâ, furij conscientia stimuletus, & opprobrium magis hominum, quàm Numinis iram veritus, gladium in pectus strinxit, & sui ipsius carnifex, animam orco immolavit anno Mundi 2979, ante Christum 1048. Talem desertionem merentur, quotquot Saulem reprobum imitantur.

Sauli gemellus videri potest Moroveus Chilperici Regis Francorum filius, qui per fas & nefas, paternum ambiebat regnum, ideòque virulentâ lingvâ lividisque oculis patrem suum prosequabatur, ut verò sacra profanis misceret, invitavit sanctum Gregorium Turoensem Episcopum ad convivium, ab eoque spirituale documentum petijt; hic aperto libro proverbiorum, in caput trigesimum, versum decimum septimum incidit, ubi hæc invenit: *oculum, qui subsannat patrem, effodiant eum corvi.* quo oraculo ille percussus, ad Pythonissam sese contulit, ab eaque audijt, patrem intrâ anni circulum moriturum, ipsum verò præ omnibus fratribus gubernacula universæ Gallia aditurum. Narravit hoc ipsum rursus Moroveus Gregorio, ab eoque reprehensus est dicente: à Deo fili mi petenda ista sunt, non à Dæmone, mendaciorum fabro. Ad Deum itaque conversus Moroveus (tanta est regnandi libido) adijt sepulchrum Sancti Martini, eiq; tres biblio-

bibliorum libros, Psalterium, Chronica, Evangelia imposuit, & totâ nocte pervigil Sanctum Martinum oravit, dignaretur sibi revelare, quid circa regnum sit eventurum. nulum eâ nocte responsum; sed neque triduo postero, quod Moroveus jejunijs, vigilijs, orationibus exegit, ac tandem sepulchrum denuò accedens ad tumulum libros Regum aperuit, in quibus hæc fortuitò legit 2. paral. 7. *Pro eo, quòd reliquistis Dominum Deum vestrum, & ambulastis per Deos alienos, nec fecistis redum ante conspectum ejus, ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum, in libro psalmorum septuagesimum quintum aperuit, reperitque: verum tamen propter dolos posuisti eis mala, dejecisti eos, dum alle-varentur. quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitates suas.* Denique ex Evangelijs hanc fortitus est lectionem: *scitis quia post biduum pascha erit, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Terribiles hæ erant lectiones, movendo tamen Moroveo non sufficientes. prius enim intentata mala persensit, & post annum non integrum cinctus ab hostibus, nè in horum incideret manus, ipse sibi violentas intulit, & ut alter Saul ter miserimè interijt. sic merentur desperare divinatores, qui si nondum perierunt omnes, grande divinæ tolerantia est miraculum.

Alter infelicium Magorum Rex Ochozias est, de quo 4. Reg. 1. deambulârat is fortè in supremo tecti solario, & per fenestram, quâ lumen in coenaculum immittebatur, prolapsus extremum vitæ adierat discrimen. Placuit ægroto Ochoziae idolum Accaronitarum Belzebub consulere, & conquassati corporis petere remedium, quò dum ablegati properant, occurrit illis Dei in-

ternuntius Elias, & indubiam Regi mortem annuntiari jubet, quia Cadæmonem præ Deo vivo & vero invocatum misisset, *quam ob rem dicit Dominus: de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris v. 4.* tali feriendum fulmine erat caput, quod incolumitatem ab orco sperabat. Impatiens reprehensionis Rex militarem manum ad comprehendendum vatem ablegat, credibile est ad iram vindictæ, amorem vitæ accessisse, quam etsi conclamata, armatis tamen minis à mirabilium patratore Propheta, sibi prorogata volebat. Ad montem ubi superbis cum mandatis venit Dux legationis cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari Dei inspiratione concitatus, devocat è cælo ignes, & formidoloso horribilique spectaculo manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, paritèrque concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio Regi obtemperârît. ablegatur tertia quæ terrefacta nuntio iteratæ cladis obsequiorum & precum demissione exitium à se avertit, vatemque permovit, ut secum in regiam concederet, ubi decumbenti Ochoziae inevitabilem moriendi necessitatem non minùs animosâ voce confirmavit, quàm antè prædixerat. En quot mala! quot mortes! quot animorum corporumque exitia pariat vel unicus appetitus divinatores consulendi. ò si morte moriantur prius omnes, quàm in ullius animo concipiatur desiderium divinatores per summum æternæ Majestatis contemptum adeundi, næ ille longâ dignus vitâ, qui in malam crucem & pessimam mittit mortem, quotquot huic flagitio obstinaciter deditos comperit. Joanni Galeatio Mediolanensium Duci pseudopropheta mortem

tém præproperam prædixerat, si-
bi verò maturam longævitatē
pollicebatur, cujus impudentem
vesaniam prostitutus Rex, triste
edixit biverbium: *morte morieris, fe-
citq; illicò pseudopphetam stran-
gulari. dignissimus idcirco prin-
ceps longam ætatem felicissimè vi-
vere, qui mendaci ariolo vitæ filum
justissimè abrupisset. Ingens Ti-
berio Imperatori accessit felicitas,
quòd anno Christi 18. magos occi-
disset, cives verò hincè artibus de-
ditos exulare jussisset.*

§. 6.
Item
Manassis.

Ad tertium Magorum scelera-
torum accedo, & quidem carcere
Babylonio detentum. summa scele-
rum Manassis 4. Reg. 21. v. 6. recen-
setur: *ariolatus est, & observa-
vit auguria, & fecit pythones, & aruspi-
ces multiplicavit, ut faceret malum
coram Domino & irritaret eum. Ir-
ritatus tot tantisque flagitijs Deus,
septimo regni Manassei anno Ba-
bylonios immisit, à quibus captus,
catenis onustus, carceri mancipa-
tus, didicit nihil unquam boni illis
evenire posse, qui per malas artes
secuturæ felicitatis quærent au-
spicia. Et quamvis ictus sapuerit
Manasses, culparumque præterita-
rum gratiam à misericordissimo
Numine obtinuerit, pœnam tamen
implacabilis justitiæ non sustulit.
à regijs posteris, donec templum,
urbs, regnum funditus evertere-
tur. Mirum si non desoletur urbs,
regio, ubi vel unicus ariolus repe-
ritur. Manassi suppar Ferran-
dus Flandriæ Comes, de quo Chro-
nica Gallorum ad annum millesimū
ducentessimū undecimū. Bel-
lum is contra Philippum Christia-
nissimum Regem susceperat, de-
que alea ejusdem sollicitus, ab ariolis
tulerat responsum: *Rex cadet in præ-
lio, pedibus hominum & equorum cal-
cabitur, nec sepelietur. Ferrandus
verò à Parisiensibus jucundissimè ex-**

cipietur. At contrarium omninò
accidit, infelicissimus enim Ferran-
dus prælio funditur, in fugam com-
pellitur, ex qua retractus in carce-
res Parisinos compingitur. Tales
merentur jucunditates & trium-
phos, qui conculcatâ lege divinâ
manus ariolis dare non pertime-
scunt.

Proh mortalium dementissimil!
nec animæ suæ & vitæ, nec corpori,
famæ, fortunæsq; suis consulūt, qui
consulunt divinatores, aut nefandis
fese devovēt superstitionibus. Cōtra
animam & vitam pronuntiat Au-
thor vitæ & legislator supremus
Lev. 20. v. 6. *anima, quæ declina-
verit ad magos vel ariolos, ponam faci-
em meam contra eam, & interficiam
eam de medio populi sui.* Contra cor-
pus protestatur, obtestaturque
Chrysoströmus: *nè curam capitali
hosti committamus, cui corpus idem,
quod in anagrammate porcus est;
vellet enim sic cum eo agere, velut
egit cum grege integro testibus E-
vangelistis Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.
nec rarò sic agere permissus est, u-
ti vetera novæque exempla copio-
sè demonstrant. non ita pridem In-
golstadij ancilla scire volens, cui
nuptura marito esset, per fenestram
à dæmone deturbata, maritum sibi
in inferno quærere iussa est. Loqua-
tur jam orator Antiochenus: *medi-
cinam à demonibus expetis? cum abi-
rent in porcos, Christi permissu, de-
mones in mare statim illos præcipitã-
runt, & hominū corporibus parcant?
ejecerunt ex paradiso, honore cœlesti
orbârunt, & corpus curabunt?* Con-
tra famam agit jus Canonicum, &
non tantum ariolos, sed quotquot
eos consulunt, declarat esse infames
& excommunicatos, atque hanc sen-
tentiam tertio repetit, videlicet C.
*quisquis 2. q. 8. C. testimonium de
testibus. C. si quis Ariolis. 26. q. 5.**

Demus tamen respondere,
testi-

§. 7.
Divinato-
rum infam-
ia ingēs.

§. Chryso-
ström. ora-
tio: contra
Judæos.

nonnunquam ariolorum vaticinijs eventum, permittente ita justas ob causas justissimo Numine, nihilominus audiendi minimè sunt, quia lex divina reclamât, & ariolos licèt semper veraces forent, consulere vetat. Nihil verius dici potest, quàm quod Augustinus docuit l. 2. de doctrin. Christian. c. 22. *non quia vera est prædictio, idcirco minus est sacrilega & superstitiosa, neq; ideo magis licet prædictionibus talibus fidè dare, sed semper retinendum illud Dei præceptum: etiam si dixerint nobis, & ita e venerit, nè credamus illis.* Denique quod de somnijs dixit Aristoteles, hic quoque verissimum est, divinationem hujusmodi non nisi ex accidenti fore veram, sicut enim qui assidue jacit aleam vel talos fi-

git, is aliquando seniones, aliquando venerem jacit, invenitque; sic cum isticenties mentiantur, quid mirandum si ter veritatem dicant. Quis non credat Deo? ipse autem reclamât: ego sum Dominus irrita faciens signa divinorum & ariolos in furorem vertens, Hucusque Augustinus.

O Divinator, quod Paulo dixit Festus, infestus ego paucis mutatis tibi occino & prædico: *Cæsarem* quid? principem mundi & iniquorum regum Caput dæmonem appellasti, ad dæmonem ibis.

* * *
* *
*



PHILIPPICA XLIII.

In Avaros.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16. v. 2.

§. I.
Omnis avarus peior est villico iniquitatis.

SI rationem reddere jubetur villicus, quod ex bonis Domini sui alios locupletarit, quale judicium avaros manebit, qui bona Domini sui non dispergunt, sed disperdunt, non dissipant, sed annihilant, nec alijs profunt, nec sibi comòdant, Dominum insuper & fortunæ & famæ bonis dispoliant. Villicus certè hodiernus rationem reddere iustus, non cessavit adhuc ex bonis Domini sui, quem cum primis munificum esse noverat, amicos sibi creare, remittendo

alteri è debitoribus cados olei quinquaginta, alteri verò coros tritici viginti, nec ideo à Domino reprehensus, sed ob prudentiam dilaudatus fuisse legitur. *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* justè laudatus est inquit Clarevallensis Abbas ep. 257. qui Domino suo rerum maluit, quàm personarum jacturam facere elegitque potiùs fraudem facere Domino suo, quàm proximo non misereri. at verò avarus quisunque villicus, dum omnia sibi uni vendicat, & lolij instar triticum exugit aut velut agnus castus flores vicinos